



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de
Liesse dictam effulsere**

Caoult, Walrand

Coloniae Agrippinae, 1607

Alius à morbo pestifero liberatur voto eius nomine per alios B. V. emisso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

simulatque se vulneratum agnouit, ad Deum beatamque Mariam Exhilaratricem pijs precibus confugit, dictæ Ecclesiæ se deuouens peregrinum, simulque eodem voto promittens se ibidem venturum gestando præ manibus vnus pondo cercum. Voto autem hoc per ipsum emisso, expertus est aliquid in suo vulnere solaminis, modicoque temporis spacio interiecto, plenè sanitati est restitutus. In tanti verò accepti beneficij gratam memoriam & gratiarum actionem votum emissum impiger soluit, simulque iuridicum testimonium è magistratu loci accepit, quod secum deportauit vnà cum capite quodam ligneo sagitta transfixo, dicti miraculi commemoratiuo: quod in suprà dictà ecclesia B. Mariæ Exhilaratricis etiamnum visitur.

ALIVS A MORBO PESTIFERO

liberatur, voto eius nomine per alios

B. Virgini emisso.

MIRAC. VIII.

ANno supra millesimum quingentesimo octuagesimo secundo grassante ac multum sauiente peste in pago Bayo in Tiracia sito iuxta Abbatiam Bourfontaine nuncupatam, eiusdem Abbatix religiosus quidam, cui nomē Frater Antonius Hutinus,

N 5 sacer.

sacerdos, ex Vreunio oriundus, in dicto pago cum esset, dicto etiam morbo contagioso correptus fuit: & ita quidem ut rationis usu corporisque sensu destitutus loquelaque quatuor dierum spacio orbatu pro mortuo fuerit proclamatus. Verum eodem instanti quo quidam se eius nomine B. Mariæ Exhilaratrici deuouerunt peregrinos, plena formalique voce decantare cepit antiphonam, Salue regina. Modicoque temporis spacio præterlapso, gloriosa Virginis precibus ac intercessione, ipse cum custode à pestifero morbo miraculosè præseruatus est. In cuius rei non ingrati memoriam, tabellam dicti miraculi historiam complectentem transmisit, quæ adhuc hodie in dicta extat ecclesia. Complura

Nota { autem alia sunt miracula, quæ in dies ferè singulos dictæ Virginis meritis & precibus patrantur, quorum in hoc libello nullam facimus mentionem, eò quòd eorundem non habeamus adhuc certam fidem: speramus tamen ubi successu temporis nobis fideliter comprobata fuerint, ea præsentibus annectere.